



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 2. Amplitudo Melitæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

libus qui Insulam tueri debent; *ex Dominio*, id est ex urbibus Melfanâ, Panormo, Catanâ, &c. Et hi omnes deliberant de dono Regi conferendo, seu Donatiuo.

Rex Hispaniæ colligit ex hac Insulâ millionem vnum ducatorum annui redditus, præter Donatiuum. Quidam aiunt conscribere posse octoginta millia *Fistulorum Arquebuziers*, & triginta Equitum millia. Panormus vna viginti sex peditum millia, decem millia Equitum conficere potest. Vulgò Prorex habet 200. Hispanos Prætorianos, in arcibus & præsidis 2500. Regio insuper sufficitei peditum decem millia, Equites 1500. qui additi nobilibus Equitibus conficiunt tria millia, & ducentos Equites.

§. 2. De Melita, & Insulis ei adiacentibus.

NVM. 1. *Nomen Melitæ.*

ANTIQUVM nomen retinet leuiter inflexum, litterulâ vnâ expunctâ. Consule & quæ diximus in Antiquâ.

NVM. 2. *Amplitudo Melitæ.*

ANTE aliquot annos dicebatur eius *Longitudo*, 20. aut viginti duorum millium; *Latitudo* duodecim, *Ambitus* sexaginta. Sed ante aliquot annos qui eam accuratè dimensus est Geometra tribuit ei 40. passuum millia *longitudinis*, ferè viginti, *latitudinis*: de *ambitu* nihil statuere voluit, ob crebros sinus quibus lancinatur.

NVM. 3. *Qualitas Melitæ.*

LICET hæc regio sit paulò calidior, tamen refrigeratur ventis Zephyro, & Cauro, at neque niuem, neque glaciem videt nisi allatas, & arte seruatas. In tota Insulâ vltra quatuor pedes nihil præter scopulos, & rupem inuenies. Ad Medinam, seu veterem urbem frumentum satis copiosè prouenit, quod tamen alere vix potest indigenas per tres menses, itaque ex Sicilia apportatur. Vbique Gossipium *le Coton* feliciter succrescit, magno vbique in pretio, & post demessum hordeum seritur. Quomodo hîc terra & lapides valeant contra serpentes dicemus in Admirandis. Meli ibi tantâ etiamnum copiâ legitur, vt quidam dictam velint à melle. Equi hîc quoque robustissimi, & generosissimi, accipitres no-